

KNY-18-  
00308

DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA  
IN QVA  
DE  
**THERAPIA PER ELECTRVM**  
**QVAEDAM PROPCONVNTVR**

---

QVAM  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
VENIA  
SVB PRAESIDIO  
**D. IOANNIS GOTTLLOB HAASII**

ANAT. ET CHIRVRG. P. P. O. FAC. MED. ASSESS.

DIE XXV. FEBR. CLO CCL XXXV

CONTRA DISSENTIENTES SVSTINEBIT

EIVS AVCTOR

**CHRISTIAN GOTTHOLD FELLER**

MED. BACC

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA IACOBAEERTIA

KNY-18-00308



V R B I S  
ET INCLVTAE REIPVBLICAE  
BVDISSENSIS  
**MAGNIFICO SENATVI**

LIBELLVM HVNC

M E Q V E I P S V M A D E O

D. D. D. D.

THE  
LAW  
OF  
MORAL  
OBIGATION

BY JAMES MILL

C. C. L.

1808

VIRI MAGNIFICI  
IVRIVM CONSULTISSIMI  
AMPLISSIMI

FAVTORES PIE COLENDI

Quod in conspectum VESTRVM hic libellus  
prodit in eo non tam audacter quam pie facere  
videtur. Quid enim impedit, quo minus iste

praesidium atque tutamen appetat, quo auctor  
eiusdem inde a multis annis fructus est, quippe  
quem VESTRA benignitas innumeris beneficiis  
auxit ornauitque. Ad quae VESTRAE beniuolentiae  
documenta hoc nuperrime accessit, quod mihi  
sanitatis publicae curam demandastis. Quod  
igitur benigne hunc pietatis interpretem accep-  
turi sitis nullus dubito; eum arrhae loco prae-  
missi,

missi, vsque dum praesenti mihi, quod verbis  
nequeo, factis ostendere contigerit, quanti Patro-  
cinium V E S T R V M faciam, quamque laboraturus  
sim in eo, vt confidentia et benignitas V E S T R A  
neque in ingratum neque indignum collata videri  
queat. In publica commoda effem peccaturus  
nisi adderem, quae pietas et verus amor patriae  
mihi suggerunt, vt videlicet Deus T. O. T. Q. M.

Vos,

Vos, in vrbis quam prudenter gubernatis et  
omnium bonorum incrementum, saluos fosi-  
tesque esse iubeat. Id serio precatur

## VESTRORVM NOMINVM

Lipsiae d. XXII Febr.  
MDCCLXXXV.

obseruantissimus Cultor  
Christian Gotthold Feller  
M. C.

**Q**uae communis omnibus, qui argumentum pertractandum, in ea, qua ego sum, conditione sibi eligere debent, haesitatio esse solet, eam me quoque vexauisse, vix est quod dicam; quandoquidem eius, quam profiteor artis limites, cum amplissimae sunt, tum etiam in ipsa rerum vertestate, vix ac ne vix quidem aliquid dici nedum cogitari potest, quod non dictum sit prius. Atque eapropter quoque in meritam incurrere videri possem censuram, qui ad specimen academicum, talem elegi scribendi materiam, quae ab ipsa inventione plurimorum medicorum atque physicorum oculos in se conuertit, adeo, ut in largissima scriptorum messe, spicilegium tenue tantum, et quod operam non compenset, expectari posse videatur.

Cum vero ex plurimorum, qui de electrico fulmine seu materia egerant, auctorum lectione intelligerem, paucos immo fere nullos fuisse, qui, cum ad medicinam electricam vim adhiberent, regulis atque praecepsis veterentur iis, quae Therapia praecepit; tentandum putaui, numne in tanta auctorum atque obseruationum, experimentorumque captorum inconstantia, tamen regulae et signa, quibus hoc medicinae genus indicetur, erui, et sic medica Electricitas ex empirica

A

rica



rica in rationalem medicinam transplantari possit. Ex quo  
meo consilio porro intellectu facillimum est, me non in ani-  
mo habere, historiam huius physices partis repetere, quippe  
quod et ab aliis factum est,<sup>a)</sup> et volumen integrum expleret,  
in disputationis plagulas vero cogi nullo modo posset.

Sed praeterea quoque superfluum esset, eam addere,  
cum nemo nesciat labores atque tentamina PIVATTI Venetiis,  
VERATTI Bolognae et IALLABERTII Geneuae, NOLLE-  
TII SAVVAGII tantem Monte pessulani capta, ut recentio-  
rum HARTMANNI, ABBATIS DE SANS MAUDUYT alio-  
rumque taceam.

Potius vero in diuersas partes secedentes perlustrare pla-  
cket medico-physicos, electricam vim aduersus aegritudines  
applicantes. Pauci enim, quorum antesignanus Celeberri-  
PIVATI,<sup>b)</sup> Venetus est, in principio et fere nascente scien-  
tia

a) *Gralathius*, Gedanensis haud in-  
celebris physicus, *Pristlejus*, *Krunitzius*  
et *Bertholon*, eam aperiere viam  
quam amicissimus *Kuhnus* vltro per-  
sequi spopondit, in versione libri Cl.  
*Sigaud de la Fond*. Precis historique & experimental des phénomènes  
électriques depuis l'origine de cette  
découverte, jusqu'à ce Jour, Paris  
1781. 8. et quam sub titulo: *Ge-  
schichte der medizinischen und physi-  
schen Elektrizität und der neu-  
sten Versuche, die in dieser Wissenschaft  
gemacht worden sind, aus den neuesten  
Schriften zusammengetragen und mit  
eignen Versuchen vermehrt, von Karl  
Gottlob Kühn, d. Phil. u. A. W. D.  
1ster Theil m. K. Leipzig bey Weygan-  
den 1783.* edidit; in hac prima parte

autem medicam electricitatem Cl. Au-  
tor nondum aggressus est.

b) Epistolari forma descripsit hanc  
methodum in tractatu: Dell'elettricità  
medica del Sgr. G. F. Pivatti al celeb.  
F. M. Zanotti in Lucca Venetia. 1747.  
gallice prodiit 1750 Lutetiae Parisiorum.  
Eiusdem tenoris est *Winckleri*  
Progr. quo nouum reique medicæ  
vtile electricitatis inuentum exponit,  
Lipf. 1759. *Crantzius* in Mat. Med.  
T. I. p. 109. argute de hac re differit  
verbis: Cl Viri Pivati, Bianchi, Ver-  
rati plurimum et diuersimode electrici-  
tate vtuntur et quidem cl. Pivati ve-  
netiis electricitatem medicamentosam  
tantum (scilicet inclusis ipsis tubis va-  
rii generis remediis adhibet.) — —  
Fuit Augustae taurinorum purgantis,  
dum

tia cum intelligerent, materiae electricae subtilitatem tantam esse, quanta, si eam luminis excipias, nullius, putare medicamina, eadem matrice impregnata, multo facilius et promptius subtilissimos canales, quibus peccans materia inhaeret, subitura esse, aliis eodem artificio non praeparatis. Sed effectum expectationi non respondere, <sup>c)</sup> ipsamque electricam virtutem inter sorbtione n medicinae euancescere edociti, scintillulas prolicere tentarunt; siue post inuentum KLEISTIANVM, electricas succussionses, aduersus omnis generis curandos morbos adhibuere, <sup>d)</sup> vario quidem et anticipiti, interdum tamen cum felicissimo effectu. Atque has duas methodos plurimi quidem medicorum laudauere, vsque dum sinistro multorum experimentorum euentu, <sup>e)</sup> tandem

A 2

ad

dum electricandorum manibus medicamenta purgantia inderet Bianchi, electricitatis nouae autor. Sed quantum est in plurimis experimentis inane. h. i.

c) Hanc incertitudinem experimentorum primus detexit Nolletius, qui ipsos Italos rei videnda ergo adiit. Vid. Hist. de l'Acad. des sciences Ann. 1749. vbi de Itinere suo refert.

d) Promiscue commendarunt plerique electrum immo ambiguè, vt in multis rationem et viam quam secuti sunt non inuenianus plerique tamen succussionses laudarunt. Ex quorum numero, vt paucos nominem sufficere videtur. Quellmalzius Lipsiae, Kratzensteinius Halae iam 1744 succussionsibus paralyses percurarunt. Fallabert 1747 d. 26 Decembr. primum experimentum coepit. vid. ej. Experiences sur l'Electricité &c. Paris 1749.

Veratti in Observations physico medicales sur l'Electricité 1750. à Geneve. Tornator Havniensis Spengler in Briefen und Erfahrungen der elektr. Wirkungen in Krankheiten, Kopenhagen 1754. Schaefferus von der Kraft und Wirkung der Electricität in den menschl. Körpern 1752. Hartmannus in der angewandten Electricität bey Krankheiten, Hannover 1770.

e) Eminens exemplum, et quod multos in applicatione electri timidos reddidit, infelix Richmanni et Doppelmayeri, Norimbergensis celeberrimi Mathematici et Astronomi factum exhibuit, praeserti ultimi, qui a mediocri succussione Kleistiana apoplecticus concidit. Vide de ea re Andr. Buchneri, V. C. 2te Sammlung verschiedener zur Arzneykunst gehörigen Materien. 1760. p. 452.



ad mansuetiorem, ne ruisque non adeo inimicam viam ducti, hanc desererent, atque potius per aegrotos electricum flumen ducentes, multo iucundius tutiusque morbis mederi allaborarent.<sup>f)</sup> Secuti vero sunt medici naturae ipsius vestigia, quae et ipsa morbos electricitate, quod postea demonstrabimus, sanat, et deinde quoque, sub tonitru etiam hominem non feriente in homines agit. Nam quod electricum fulmen hominum naturae proprium,<sup>g)</sup> et saepius conatum sit, varia probant primo loco exempla hominum, qui vel magis, vel plane non ab electricis scintillis afficiuntur, vel quoque sua sponte scintillulas emittunt, et sub quibusdam conditionibus, toto corpore non tantum micant, verum quoque tanquam gymnotus electricus, quos attingunt, homines succutiunt.

Quis est nostris temporibus quin sciat flammulas in pilis militum teste Liuio Plinio atque Seneca visas, et ab ipsis poetis<sup>h)</sup> ex naturae obseruatione descriptas, electricae propriae esse. Praeteritum saeculum cum adhuc Physica Peripateticae Philosophiae cimmeriis oppressa vmbbris iaceret, cele-

<sup>f)</sup> Inter quos *Tiberius Cavallo* in, *Essay on theory and practice of medical Electricity*. London 1781. *Mazars de Cazeles Memoire I. & II. sur l'Electricité medicale & Histoire du 42 malades, entièrement gueris, ou soulages par ce remedie*, Paris 1782. *Abbas de Sans*, *Canonius et Professor Perpignanus* in libro *Guerison de la Paralyse par l'Electricité*. Paris 1772. qui theorisee prodiit Augustae Vindelicorum 1780 nimium fidere videtur fomentationi, aegrotis suis peculiari thalamo electrum communicat.

<sup>g)</sup> *Multa et bona insunt Epistolae gratulatoriae, quam ad Hesserum V. Cl. dedit Iob. Theophilus Geisler sub titulo: Observations of the electricity of the air, relating to the bodies of the earth, and particularity to the human bodies. &c.* Zittau 1784.

<sup>h)</sup> *Virgilii:*  
Ecce leuis summo de vertice vi-  
sus Iuli  
Fundere lumen apex tactuque in-  
noxia molli  
**Lambere** Flaminam comas et cir-  
cum tempore paci.

celeberrimum exemplum naturalis electricitatis animalis exhibuit „in honesta matrona itala, ex qua, quoties leuiter „linteo corpus tetigerit ignis, scintillae ex artibus profiliuntur cunctis conspicuae domesticis, non secus ac si ex silice „excuterentur, etiam cum stridore.“<sup>i)</sup> In Gallici diarii *Journal des Savans* dicti anno 1683 Equitem cum filio suo deambulantem in suis et filii tibialibus scintillulas vidisse scribitur. Ea vero exempla, quae nostro saeculo de ea re consignata sunt, ob nimiam copiam fusius exponere non licet, ut pote quorum affatim in tractatu celeberrimi BERTHOLON loco inferius allegato,<sup>k)</sup> et in Hamburgensi Promptuario Tom. I. part. 3. numero 2. inueniri possunt. Quod autem animales partes, praeprimis sensuum motuumque organa, nerui, electricorum effluuiorum praesentiam facillime persentificant, et praesertim in asthmaticis et qui ex idiosyn-

A 3 crasia

i) Excerptum locum, ex p. 14 rarioris libri: Ignis lambens, Historia medica Prolusio physica rarum pulchrescentis naturae specimen illustr. et excell. D. Aloysio Georgio D. Marci procuratori etc. D. Ezechiel de Castro, D. Medicus Physicus 1642. In qua historia morbi, matronam ominoso nomine Cassandram Buri, eamque ceteroquin sanam fuisse enarratur nisi, quod hemicerana pilorumque defluvio, ab inordinato, et immodico mensium fluxa laborauit, ab ultinis affectionibus liberata fuit eo tempore, quo autor historiam scripsit, qui ad finem narratiunculae, „matronam per haec symptomata non febricitare ne quidem hemiceraneo dolore quantumvis acerbius pungente, „nec nisi rarissime et difficillime suda-

„re, ignem non nisi noctu aut obscurro loco videri, nec vrere inflammabiles materias scribit.“ Ceterum totus liber, eruditus scilicet in explicatione huius Phaenomeni, ex bile et temperamento consumitur. Agrippa in philosophia occulta lib. 3. cap. 43. pag. 308 ubi de igne lambente agit sequentia habet. „Id ipsum et de se prodidit sapiens quidam, ita ut scintillantes flammæ, hinc inde etiam cum sono profilirent.“

k) p. 60 et sqq libri die Elektricität aus medizinischen Gesichtspunkten betrachtet, eine von der Akademie zu Lyon gekrönte Preisfchrift des Abt Bertholon de St. Lazare etc. aus dem Franz. übers. und mit Zusätzen vermehrt von F. A. Weber. Bern 1781.

crasia hoc incommodum habent, male afficiantur, id vltro nemini incognitum esse potest, qui tonante coelo, hominum multorum confessui vel semel interfuit.

Haud pauci enim sunt, qui non solum tonitrua et fulminum tactus extimescant, verum plures quoque, iam tota ea die, qua fulgura imminent, male se habent, atque tempestatem, vix vnquam fallaci praesagio vaticinantur. Afficiuntur autem iisdem incommodis, si in diaeta commorantur, in qua electrica experimenta instituta sunt, sive instituuntur; et mihi, eruditione et fauore inclitus fautor aliquoties narravit: Se electricitatem in hypocausto excitatam vel altera die quoque subodorari.

Ex quibus quidem omnibus mirabilis<sup>1)</sup> illa, certa, summaque atmosphaericae electricitatis in corpus humanum vis intelligitur. Fusius tamen et certius neruorum sensilitatem, in applicatione electricae scintillulae experimentis comprobauit LIBERKÜHNIVS Berolini, ZINNIVS Gottingae, et aliquot annorum spatio post eum, GERHARDVS eadem repetiit.<sup>m)</sup> Ex iis, quaे instituit tentaminibus, vero, nullam acrimoniam aliamque irritantem materiem, electricam virtute antecellere, ne dum quidem ad eam accedere certior factus

1) Et quandoque salutaris; in Lichtenbergs Verhaltungsregeln bey nahen Donnerwettern. Gotha 1774. pag. 9. memorabilis casus duorum amicorum iter facientium habetur, qui vt vehementer imbreui cuitarent, ambo simul excelsae arboris tegmen subiere: Alter horum praeconditorum singulari angore pressus, locum deseruit imbreuique subiit. Vix autem triginta passus ab arbore aberat, cum arborem et anni-

eum uno fulmine in cineres atque triste bidental conuersos delacrymare cogebatur. Mihi ex patria mea similis historia innotuit.

m) Vid. Memoires de Berlin An. 1772. p. 42. vbertim vero descripsit omnia Phaenomena, ita vt vix aliquid addi possit, Pikelius Diss. inaugurali de electricitate et calore animali. Heripoli 1778 defensa.

factus est; adeo, ut quoque exsecta animantium corda, quae nulla arte ad constrictionem cogi amplius poterant, ab una scintillula tacta conuellerentur.

Quod nerui et cerebrum nudum, si paulo post quam animal exspirauit, et adhuc tepidum est lacinantur, eas ad quos pertingunt musculos in motum cierent, vix tantum inventum est, quam hoc, quod etiam refrigerato animali, omnisque motus experti, si electrica succusso adhibetur, motus et sensus quodammodo redit, quas obseruationes nos, post ZINNIVM, LIBERKÜHNIVM atque supra citatum PIKE-LIVM, quem recte quidem classicum autorem in ea re appellat Exper. HVFLAND<sup>n</sup>) multoties instituimus, et semper quidem eodem cum euentu. Quid igitur mirandum est, si in tanta euidentia electricae virtutis in nerois et corporis vniuersam compagem, ipsa haec physices pars multos, qui eam ad humanam salutem procurandam vel restituendam adhicerent, nostris temporibus nacta fuit auctores, quamuis, quod humanae imbecillitati tribuere cogimur, plures, nimium nostrae medicinae fidentes, in ridiculos errores incidentes, et paene superstitiones curationes electricas commendantes videamus. °) Aureum igitur medium tramitem eligen-

n) in p. 16 Disput. adhuc saepius laudandae, qua Vtus vis electricae in asphyxia experimentis illustratur. Goettingae 1783.

o) In quos errores Bertholon et Scudery imprimitis incidisse mihi videntur, quorum prior electricum non tantum debellandis fere omnibus corporis morbis, verum quoque libidini compescendae aptam censet. lib. cit. pag. 32, et pag. seq. in matrimonii-

eundis ad maris et feminae proprium electricitatis gradum et naturam respiendi esse suadet, ut alia praeteream. Alter in libro quod Telescopium Medicinae inscripsit, non tantum omnibus praesentibus morbis eo medicaminis genere mederi, verum quoque latentes aegritudines erui posse censet p. 10. theoricae versionis, quae inscripta est. Das Fernglas der Arzneywissenschaft nebst einigen andern Abhand-



elgentes, optimum videbitur, si electricitatem, vel excitatam illam, vel atmosphaericam, inter medicaminum classem referimus: quo facto utique thrasonica multorum de eius praestantia commenta concidunt, quoniam huic medicamento eadem obstacula obstant, quae reliquis; scilicet, quod non, nisi secundum artis regulas adhibitum, et cum aliis medicamentis combinatum; non semper, nedum quidem in eodem morbo diuersorum hominum simili ratione proficit. Nolim autem, ut haec in contemptum artis vel rei, de qua agitur, scripta alicui videantur. Nam idem infortunium omnibus, et praestantissimus quoque pharmacis, Mercurio, Cortici Peruuiano aliisque commune deprehenditur, cum tamen, quamuis aliquoties fallant, a potiori et frequentiori effecto antisiphyliticorum et febrifugorum nomine haud immerito appellitentur.

Meretur porro electrica materia pharmaci nomen eo magis, quo magis cum reliquis medicinis in varia utilitate, et effectorum diuersitate conuenit. Ut enim a doseos modo et medici arbitrio dependet, num tartaro emetico vomitum concitare, an infimi ventris viscida resoluere ac incidere velit, sic quoque hanc vario et potissimum triplici modo, prout id morbus requirit adhibere et attemperare valet medicus. Primaria vero et omnis generis electri communis actio in extensione et elasticitate aucta cernitur, quae non tantum in animalibus, verum quoque in reliquis fluidis solidisque corporibus obseruatur, adeoque constans est. Non enim opus esse videtur repetere, quod fluida electrica in tubis capillaribus et syphonibus celerius ruant; quod sanguis teste GERHARDO in eodem

*Abhandlungen etc. von Don Joseph Scudery, D. d. W. u. A. auf der Akademie zu Turin, aus dem Ital. m. K. Münster 1775.*

dem tempore et eadem aeris temperatura magis, et quidem sere dimidio plus p) euaporet. Recentiora N A I R N I I experientia vero, quibus crassiora aenea fila fortioribus succus sionibus breuiora reddi intellexit, nostrae atque communis sententiae tanto minus refragantur, quo certius est, ipsas horum filorum diametros increuisse, electricum fulmen versus latera, vel potius superficiem cylindrorum egisse, et sic quoque extensionem particularum per id tempus, per quod metallum transiuit, adauxisse. Quae cum ita sint, in propatulo positum est primam utilitatem quoque in humano corpore elasticitati fibrarum imminutae optime et felicissime opitulari. Viscidis, tenacibus et segnitie morbosa in animalis corporis canalibus fluentibus succis igitur aptissimum medicamen erit nostra medicina, cuius actio cum in fluidas, tum quoque in solidas partes suis viribus agit.

Haec prima agendi ratio autem requirit simplicissimam applicationem electricae machinae, eam videlicet, in qua homo sellae electricae, siue isolatoriae, (sit venia verbo) impositus, effluviis electricis imbuitur. Id quod fomentationem siue Balneum electricum BERTHOLON appellat, et cuius methodi inventionem sibi ipsi tribuit. q) Declarant vero

p) Teste Gerhardo amisi libra dimidia sanguinis centum eiusdem electricati sanguinis eadem copia centum quadraginta et quinque grana, nos semper maiorem deprehendimus evaporationem, sed inconstantem, quod humorum crassi tribendum videtur. Vsi sumus praeterea latissimo 12 pollies, lato vitro hypocraterem, in quo euaporatio multo celerius procedit.

q) p. 24. l. c. Sed ante eum commendauerunt iam plures hanc fomentationem et Experientiss. Graumann Diff. Inaug. in qua Observations suas Physico-medicas et sententias communicat, Buetzouii 1776. 4. defensa p. 54. vbi de electro medice considerato agit, isolationem sic dictam iam valde commendat.



vero ipsa phænomena, in homine sericeo reti, vel sellae vitreæ insidente, quae euenire debeant. Pulsus enim, qui celerius et frequentius micat, secretionem aliquam augeri pollicetur, quae quoque, experientia id confirmante, per sudoris, siue vrinæ colatorium, quorum mutua relatio neminem medicum fugit, in plerisque hominibus concelebrari solet. Sed cutanei cribri ostiola tenuissima illa, et fere minima, cum ab virtute atque impulsu electri referentur, nullum dubium est, idem in obstipatis neruorum vasis sanguiferis euenturum, et sic hunc impulsum fortiorum, humorumque diductionem, valere eas extricare obstipationes, quae subtilissimis etiam medicinis alioquin resistunt. Epilepticis, et in genere spasmodicis morbis idiopathicis illis, qui nullam in visceribus vel intestinis causam irritantem habent, auxilii nostri usus opem feret maximam, si, quod iam innuimus, morbi causa non crassior et quam mechanicam dicunt, et corpus aegrotantis ita comparatum fuerit, ut huic lenissimæ quamuis electri operationi perferenda par sit.

Sterilitati etiam, hocce operationem instituendi modo aliquem mederi, BERTHOLON autor est, qui pag. 243. libri faepius citati, Physicum aliquem VILLERMOZ testem adducit exspectatissimæ electricæ fomentationis ad sobolis generationem, laetissimæque efficacitatis.

Viderat is coniugium per decem integros annos sterile, usque dum vir spondis thalami isolatis hunc consenseret, eumque per filum aeneum electrico flumine imbueret, quo facto mulier paulo post concepit, et iusto tempore sanum robustumque foetum enixa est. Similem historiam in sequenti pagina idem habet, quo loco lascivius Abbas garrit. Videntur ad hunc locum quoque referenda esse,  
quæ

quae praestigiator et leno ille celebris Anglus GRAHAM, de coelesti suo thalamo vociferatur. Quippe qui, si ad solum procreandum magis idoneus est, quam communis, id vnicet atque solum per electricum effluvium peragere poterit. Nam ipse thalamus, quod cum legi, tum ab amicis, qui ex Anglia reduces facti erant, mihi narratum est, crystallinis suffultus est fulcris. Rationem ut aliquam adducamus, ob quam electricitati prolificat vis inesse possit, nihil aliud in mentem reuocare opus erit lectorum, quam hoc, quod ex crebra optimorum obseruatorum animaduersione ad conceptionem peragendam prolificus spermatis halitus sufficiat, ut nedium quidem eius in uterum vel vaginam infusio requiratur. Huius halituosi roris elasticitas et penetrandi potentia augebitur eo magis, quo subtilior materies iam per se est: quod in aliis diuersa auolandi proprietate (volatilitatem dicunt) praeditis corporibus per experimenta propria scimus, <sup>r)</sup> ex quibus porro, plasticas particulas altius penetrare et probabilius foecundare, vltro consequitur.

Sunt igitur virtutes simplicissimae electricitatis adhibendae in omnibus ab obstructione in nervis eorumque vasibus latente exorientibus spasticis morbis, in quibus tamen nervi sensuum ministerio adhuc defunguntur; ut et in iis morbis, qui a suppressa siue impedita transpiratione proueniunt, aut quando unum horum colatoriorum praeclusum reliquis visita-

B 2 tio-

<sup>r)</sup> Sic Camphorae fusae Scrupulus, in argenteo cochleari super flammarum candelae detentus, post horae quadrantei denum in aerem transit, electro adhibito idem intra quinque minutu enanuit, postquam prius egregiam crystallisationem monstrauerat. Naph-

tae eadem quantitas intra quatuor minuta auolauit, quae sine electro vix post viginti duo dissipata fuit. Spir. Vini euaporatio bis segnior est. *Bosius* P. II. tentam. *Electr.* p. 9. de floribus electricis factis dicit: *Latius* spar-gunt odorem sed alteratum,



tioribus pharmaciis non cedit. Nam aliquando in quoque, qui per omnem pristinam vitam non sudarunt, electricis fribus applicatis, largiter sudant minguntue, prout hoc vel illud secretorum organorum magis vel minus secretioni peragendae aptum, materiesque morbi crudior coctiorue fuerit.

Phlogisti autem cum electrica materie summa affinitas, quae etiam haud mediocres Physicos in eam opinionem induxit, ut hanc pro inflammabilis materiae aliqua temperatura, seu ut loquuntur modificatione haberent, haud leuem in eiusmodi curationibus partem, felicioris vel sinistrioris euentus videtur sibi vendicare. Si enim homo huius multum in sua compage continet, nullum dubium est, eundem multo plus electri ex atmosphaera atque apparatu electrico resorbere: cum contra, qui eius parum habet, simplicem electricitatem et quoque austam facillime ferat.

Contraindicationem vero constituant huius primi gradus electricae medicationis, primo, singularis aegrotorum sensus, sub tonitru, de quo supra diximus, deinde fluxus menstrui praesentia, qui in verain haemorrhagiam abit; <sup>s)</sup> porro quaelibet extimescenda haemorrhagia, ut quae dentis euulsionem sequitur. Quod si enim etiam, vtcunque haemorrhagia sedata, aeger electricam sellam condescendit, hanc renouatis viribus redire, multumque negotii faceссere pro certo habere possumus. Ipse ego ter in vno homine, cui amicus dentem euulserat, post reiteratas electricisationes, sanguinem ex alueolo regurgitantem obseruavi. <sup>t)</sup>

Vltimo

<sup>s)</sup> Haemorrhagias subortas esse, Iego in Philosoph. Transact. n. 480 p. 211. vt et in Muschenbroek Introduc<sup>c</sup>tion ad philosoph. nat. T. I. p. 316.

<sup>t)</sup> Simili ratione duo iuuenes, qui gonorrhœa laborabant, post electri applicationem de copiosori materiae conquesti sunt profundi, tentam*na*

Ultimo loco vetat hanc et omnes reliquas electrum adhibendi methodos, humorum resolutio quaelibet, praeципue scorbutica, putrida et cancerosa. Sanguinis videlicet globuli, vel potius secundum HEVSONII obseruata, quae *autoptia* me docuit vera esse, vesiculae, cohaerent sub hisce conditionibus iam per morbi naturam laxe tantum et vix ac ne vix quidem; quid quaeſo igitur aliud, quam morbi per ſe mali et desperati in deteriorem conditionem commutatio, ex aeftuante et resolute remedio expectanda erit. Putridae febres augebuntur, quoniam humorum circuitus intenditur, et in cancerosa, <sup>u)</sup> omnis irritationis impatiēte labetur cum dolore morbus ſimil augebitur, vt ne resolutionem et reductionem materiae virulentiae in humorum massam incensum reuocem. Haec de Therapeuticis cautionibus primae speciei ſive methodi, sub qua medici electro utuntur, dixisse ſufficient, ſequitur vt de fulmine electrico nunc dicentes nobis viam ad eiusdem fulminis naturam atque materiae therapiam pandamus. Intelligimus vero ſub fulminis electrici notione, eam encheiresin, qua copioſe excitatum, et cum aegrotantis corpore communicatum electrum, per aliquam viam celeriter quidem, ſine igne autem atque crepitante ſcintillula educitur. Quae quidem agendi ratio, quamvis multo priori ſit vehementior, aequa tamen placido modo

B 3

in

na vero, numne ad reuocationem ſuppreſſae gonorrhoeae iſolatio aliquid valeret, expectationi minus ſatisficerunt, aegroti enim, dolores magis intendi conuererebantur.

u) Celeberr. Bertholon, qui, more plurimorum, qui de aliquo medicamine ex instituto ſcribunt nostrum pharmacum aduersus totum catalogum

morborum Nosologiae Sauvagesii commendat, eius et aeris fixi coniunctum uſum, quoque in cancro ſuadet. At vero Doctri. Weberus in adiecta animaduertione non in merito nostrum remedium dubium reddit, et ipſe Bertholon pagg. fqq. quibus de acidi aerei virtutibus loquitur, electri applicacionem ne verbo quidem attingit.



in corpus agit, eiusque directio, quod in prima methodo secus est, tota ab arbitrio medentis medici dependet. In tanta electricorum experimentorum evidentia, et cognitio-  
nis vbertate, non opus est, vt multis, qua ratione ea insti-  
tui debeat differam verbis, quae luculenter in celeberrimi et  
dexterimi experimentatoris CAVALLO tractatu <sup>v)</sup> depre-  
henduntur.

Stabilimento videlicet stabili et isolato imponitur aeger, ab conductore primo, filum ferreum ad partem superiorem, per quam electrum ruere debet deducitur: inferiori loco, cuspis opponitur, pollicis distantia, quac totam aegroto communicatam electri massam absorbet, et in terram, electri thesaurum dicit. Sunt, qui communicationem electri cum aegroto per cuspidem celebrandam suadeant, eo ipso modo, singularem agendi modum nostrae materiei quaerentes; at vero valde probabile est specioso hoc experimento vix aliud quid, quam electricae actionis diminutionem et iacturam oriri. Quodsi enim, de quo mox sermo instituatur, euen-  
tus salutiferus, ab celerrima electri actione dependet, nonne hanc celeritatem imminuet electri per aërem dissipatio et trans-  
itus? Conuenit igitur magis illud vt supra diximus per filum aeneum *αυτοῦ* applicare. Actionem nostrae materiei sub hac administratione praestandam quod attinet, eam, ab celeritate <sup>w)</sup>  
et

<sup>v)</sup> Cavallo l. s. citato. p. 12.

<sup>w)</sup> Celeritas, atque subtilitas electri tanta utique non est, quanta luminis, vt Bertholon l. seep. c. p. 17. vult; si enim haec cum ea luminis comparari posset, cur ferit adeo vehemen-  
ter tactum, rude organum, quod fieri capropter non posset, quia actio cor-

poris ex producto celeritatis in massam dependere dicitur. Celeritatem autem utut magnam videamus esse, tamen oculis dimetiri possumus si scintillam ex conductore in aliud corpus transfli-  
re videmus, quis vero obseruauit viam in cameram obscuram irruentis radii luminis sive solaris?

et copia <sup>x)</sup>) transacti electri pendere in propatulo est. Non impedit enim materiae teneritudo, quo minus corpora crassa attollat, inflammabilia accendat, cur in humores quoque morbosos in motum ciere et expellere non poterit? Sentiantur vero in electrico tripode constituti aegrotantes, varia symptomata; qui meticulosi sunt, eos sensus araneorum faciei obuolitantium male habet, alii de dolore formicante in parte aegrota ipsa conqueruntur. Omnes autem ac singuli in eo loco, cui cuspis obuersa tenetur, gratum aliquem sensum persentificantur, quem per lenem aëris flatum exprimunt, et plerumque impense lactantur:

*In noua si aëris mutatas ducere formas  
Corpora perdidicit. y)*

Sensuum illusionem vero qua aërem ex corpore spirare autumant, velociter raptum et eximia, quae ei naturalis est celeritate in gyrum actum electrum producit. Vim enim cuspidum, vel ex metallicis filis, vel ligno paratorum, quos maiori virtute pollere <sup>z)</sup> certum est, tantam deprehendi, quae totam electri copiam, ab instructissima machina excitatam resorbeat, vel iis notum est, qui Physicen duntaxat primis labbris degustarunt.

Ex morbosa, hac secunda methodo electrifata, parte educitur primo loco electri copia; deinde vero Phlogiston, cui cum electro summa affinitas <sup>a)</sup> est, euocatur; porro ipfae humo-

x) Quam ob rem *Cavallo* I. c. non nisi maiores machina in curandis morbis adhibendas esse auctor est.

y) *Ovid. Initio Metamorph.*

z) vid. *Cavallo* I. c.

a) Ob quam materia electrica, a variis haud mediocris fanae Physicis,

pro Phlogisti aliqua modificatione assumta fuit. *Prisca in Experiments on differend kinds of air. Vol. II p. 84.* eam sententiam fouet et qui eum sequitur Henly. Nos vero diuersam harum materiarum naturam inde concipiimus quoniam multis et fortioribus explo-



humorum particulae intrinsecus motum acquirunt; ultimo loco aquosa multa principia simul eripi, probabilitatem summam habet. Vtrum vero acidi aërei, seu fixi dicti aëris copia simul praecipitetur, quod ex depressione faeculae et ex calcis viuac aqua probabile sit, ego determinare non ausim. Saltem certum est, tantam eius copiam, quanta ad experimenta capienda requiritur non colligi posse.

Sed quaeso, quāenam sunt, et quanta, quae ex his modo dictis, in therapiae generalis usum conuerti potuerunt? Multa sane et ea quidem non leuiora momenta. Nam primo obseruamus, in toto illo artu, per quem electri torrens ruit, humorum motum liberiorem et celeriorem fieri, quam in praecedenti methodo. Augetur inde color naturalis non tantum, verum deperditus restituitur. Nervorum actio deinceps intenditur, quorum virtus in recipienda electricitate tanta est, ut non defuerint, qui electrum et nerueum fluidum confunderent. <sup>b)</sup>

Commendanda igitur erit haec methodus, in genere quidem, contra plerosque affectus, quos supra recensuimus, in eo tamien diuersa, ut partialibus morbis magis accommodata, iis etiam certius et longe celerius mederi posse videatur. Quodsi enim nerosi tubuli, quales FONTANA et MONROVS nobis eos demonstrarunt, obstructi sunt, et quodammodo

explosionibus vel scintillis per paruum aeris spatium transmissis illud praecipitatur: Aliis Fontanae et Baccariae experimentis certum est, illud ex particulis metallicis tanta cum velocitate cuelli, ut quoque metalli particulas absumat. Sed sane videtur esse propria materia, ego vero, cum totam ligamentum de eius natura non componere

possim, „hoc sum contentus, quod, „etiamsi quo quidque fiat ignorem, „quid fiat intelligo.“ Cic. de diuinat. I. IX.

b) Hallerus Elem. Physiol. T. IV. p. 379. hanc Huberi, Kesleri et Helii sententiam validis argumentis refutauit.

modo debiles, experimentorum rite institutorum certitudine<sup>c)</sup> euicti scimus, hos refocillari, et cum calore partis, quo fountur, eorum pristinum et naturale restitui robur. Id ipsum vero robur prodit se plerumque aliquo cutis, morbosam partem obtegentis, pruritu atque tensionis sensu sudorisque larga eruptione, sub quibus signis, bonum medelae exitum, medicus spondere valet: cum contra, si aliquoties repetita operatione nullum horum signorum apparet, perficienda curatio dubia et anceps sit. Rheumatismis, malo ischiatico<sup>d)</sup> eapropter, si tenuior lympha vasis inhaeret, in oedemate pedum et articulorum intumescentia, primarium huius methodi usum cerni, res et ratio experientia suffulta suadent. Ut et eandem paralyticis hemiplegia et sensuum hebetudine, quisquis is sensus fuerit, laborantibus opem ferre certissimam scimus; dummodo in his morbosis affectibus nerui anaesthesia non laborarint. In hoc enim rerum statu, quando videlicet interior fabrica neruorum, vel spiritus vitalis languet, et cum motu partium carnosarum, omnis sentiendi facultas periit, irritantibus opus esse medicinis, quis est, qui non intelligat. Veteres medici iam hunc in finem vrticationes et rubefacientia, recentiores cantharides, et quae eiusdem generis sunt, commendarunt. Nostro autem saeculo electri, tanquam specifici irritantis, invenitio reseruata fuit, cuius efficacitas non tantum in cutaneorum neruorum ramulos, immo potius in eorum truncos, insignis nisi maxima deprehenditur. Irritando vero agit id, de quo

c) qualia *Mauduyt* innumera instituit vid. *Helds Auszuge.* 2. T.

d) Sinistrum euentum post electri-

cam curationem, quem *Zetzel* in *Confect.* p. 4. euenisce narrat, electrificationis modo adscriberem, non electro succussions enim adhibuit.



quo sermonem instituimus, medicamen duplici potissimum modo. Lenius, quando scintillas ex aegrota parte elicimus; fortius vero, immo fortissime, si KLEISTIANA succusione pars laesa totumue corpus concutitur. Prior methodus vero, qua scintilla simplex elicetur, habet quoque duas subspecies in applicatione ipsa. Ut quidem vel scintillae ex conductore ad aegrotum locum deriuentur, vel eadem ex aegroto proliantur, qua vltima conditione aegrum isolatoriae sellae insidere debere, vix vt adducamus opus est.

Diuersa vero sunt effecta harum duarum methordorum, immo diuersissima. Quapropter nunc nostri officii pars est, vt quomodo et qua ratione differant, succincte probemus. Si ex conductore, in hominem, qui rebus communicando electricis sive conducentibus inficit, scintillae irrumpunt, totam electricam massam per hominem in terram propagari, et ne per breuissimum tempus in eo commorari, prima Physics praecepta tradunt, pulsus non acceleratus idem demonstrat. Quam quidem ob rationem, operationem harum scintillarum non poterimus cum praecedentibus comparare methodis, cum haec in nervis solum, in massa vero humorum nullam mutationem producat. Intenditur enim duntaxat irritatio eius loci, in quem igniculus irruit, quem etiam rubentem, et protracta operatione papulis obsitum deprehendimus. Rubore autem hoc conuincimur, eo in loco sanguinem intricioribus vasis aucta vi impingi, et aliqualem, leuissimam quamuis produci inflammationem. Et in ea quidem re conuenit omnino cum reliquis irritantibus epispasticis, vnde porro deriuando cum agat, v. c. in dentium rheumaticis doloribus, scintillae ad malam dirigi, in furunculis et leuioribus, difficulter in suppuratum abeuntibus

bus apostematum generibus, quales furunculi <sup>e)</sup> sunt eadem ad locum affectum applicari poterunt.

Tumoribus scirrhosis, gangliis incipientibus, si fortior machina fuerit, vix non semper, hac encheiresi applicato electro, reliquis medicinis, simul iusto modo in usum vocatis, medebitur. Sed vincit hanc encheiresin celebritate et crebro usu, altera scintillis medendi ratio; qua videlicet ex aegroto isolato ope globuli metallici electrici sub igniculorum specie elicetur. In qua quidem curatione tribus indicationibus simul satisfacere licet.

Primo nimur irritamus eam, quae scintillas spargit partem, humoresque allicimus: deinde electri torrentem rapimus ex eodem loco, quo cum secunda methodo conuenit: tandem, quoniam homo, rebus fricatione electricis reddendis insidet, eius pulsum acceleratum, et excretiones auctas deprehendimus. Irritationem autem ipsam, valemus non modo copia ipsa electri ex electrico Gnomone, vel eius quem LANE inuenit, moderari et dimetiri, verum quoque instrumentum ipsum, quo mediante scintillulae excitantur, magnam differentiam parit. Magni globuli, politi, diametro duos pollices longa fabrefacti, validiores igniculos; aciculorum capitula, quae CAVALLO <sup>f)</sup> commendat, unam lineam crassa, igniculum cum sibilo et sine fragore eliciunt, et ea propter minus, fere non irritant, ut potius eorum agendi ratio, ad secundum methodum accedere videatur. Et ea quoque de causa omnia ea pracepta de hac valebunt, quae in priori

e) Zetzel Disp. Consecaria Electrico Medica p. 6. Furunculum scintillis electricis digeri dicit, nos id saepius obseruauimus.

f) Lib. Saep. cit. de electrica medica. p. 35 et sqq.



annumerauimus methodo. Ceterum sua laude eam non pre-  
vandam esse, variis felicibus curationibus iisque ope peractis  
intelleximus, et nosmet ipsi experti sumus in nobis pae-  
stantiam horum igniculorum, cum rheumatica odontalgia  
aliquoties laboraremus. Euocatis enim, per quadrantem  
horae scintillulis, non solum ginguarum subsidentia, veruni  
quoque doloris finis statim sequebantur. Cutis rubedo, quae  
post hanc encheiresin obseruanda est, per breve tempus du-  
rans, tamen vel materiae morbosae, vel humorum in vni-  
versum ad electrifatam partem indicat appulsum; ut ea de  
causa cum rubefacierte remedio conueniat, nisi quod cele-  
rius agat.

Magnis globulis maiores quoque scintillae euocantur.  
Irritamentum igitur eo maius expectandum erit, quo instru-  
ctior, valentiorque electrica machina, et politior sphaera  
aenea, scintillas eliciens, fuerit. Possunt autem, quod no-  
tum est, tales exstrui machinae, quae duodecim pollices  
longas scintillulas, immo maiores vibrant. Vnde facile con-  
cicetur, quantopere concitati torpentes atque stupentes nerui  
irritari debeant talibus scintillis. Simul vero eadem ex irri-  
tatione vehementi immo vehementissima, in quibus aegritu-  
dinibus ad has scintillulas recurrentum sit, perspicitur. Vi-  
deatur delicatulis, debili neruorum habitu laborantibus, et  
iis, quae iisdem, quas superius pag. 10. enumeraui conditio-  
nibus obnoxii sunt, abstinentia est a nostro medicam elec-  
tricitatem adhibendi modo, quoniam cordis palpitationes,  
animi deliquia, haemorrhagiae<sup>g)</sup> aliaque mala inde sequuntur.  
Quorum neruorum sistema contra validum, difficilis irri-  
tan-

<sup>g)</sup> Cl. Nicolai im 1. Theile seiner Reisen p. 169. filio suo ab electropho-

ro sex pedum aliquoties tacto, narium haemorrhagiam subuenisse scribit.

tandum et torpidum existit; vel, qui plenario neruorum in aliquo loco stupore laborant, in his non modo non officit, verum egregie prodest. Sed si paralyses repentinae, cum sensus priuatione plenaria, artuumque atrophia coniunctae, aegrotum male habent; si prioribus methodis prius tentatis, nec motus, nec caloris pulsus in aegrota parte mutatio animaduertitur, tunc praeter scintillas nihil tentandum superest, peragenda irritatio, eo tamen modo dirigenda et attemperanda, ut ne, dum prodesse velis, noceas.

Signa, quibus hoc medicinae genere pergendum esse indicatur, sequentia fere sunt. Si in loco, ex quo scintillas excitauiſti, magnae, profundius coloratae maculae, paululum prominentes erumpunt; si pruritus post finitam electrisationem adhuc diu durat; si pars leniter incandescit, dolere incipit et tandem sudat. Vertigines, inter et post operationem obuenientes, ad mala signa referuntur; vi et repentina virium vitalium iactura, respirationis difficultas, et quae cum haec vltro cohaerent. Videntur autem isthaec ea de causa fieri, quoniam omnes, electro imbuti hominis succi expanduntur, et ad vegetiorem motum concitantur. Quapropter mirum non amplius videbitur, si medicos et physicos nostris temporibus adeo ab ipsis scintillis, multo magis vero ab succusione KLEISTIANA abhorrentes videmus, quamuis haec, ut et omnes reliquae medici electri species, iusto ordine temporeque, nunquam nocere possint.

Progrediamur vero nunc ad ultimam vehementissimam, olim usitatissimam, nostris vero temporibus, si recte sentio, male quidem, electri medico consilio adhibendi neglectam viam, sive methodum. Succussionem KLEISTIANAM videbet, fortissimam illam electri operationem volo; cuius inventio MVSCHENBROECKIO fere exitiosa accidisset. In

tanta vi huius electrici experimenti haud mirandum est, quod praeceps si rei nouitatem simul consideramus, omnium

*Obstupere animi gelidusque per initia cucurrit  
ossa tremor.* <sup>h)</sup>

Effectum huius vltimae methodi atque modum quod attinet, in plano positum esse videtur, eam irritandi vi, aduersus stupidos neroos vtiliter adhibenda antecedentes methodos maximopere antecellere. Idque eo magis, quo evidentior eius virtus quoque in fundendis metallis reperitur. Sed, si vñquam, sane in hac vltima electrica therapia caute procedendum est et tuto, et praeprimis praecauendum, ne quid nimis. Quamuis enim hae succussions aegrotum non isolatum requirant, et praeterea per partes ex arbitrio medici dirigi possint; certum tamen est, leuioribus quoque commotionibus magna mala producta fuisse, nulla alia arte remouenda. Ea de causa hystericis, spasmis obnoxiis, uno verbo debilibus, qui fere omnes per leuiores quoque succussions nimium conuelluntur, abstinendum est ab hoc genere medicinae.

Contra, si nerui adeo stupidi sint, qui scintillulas ex aegro excitatas non sentiant, si cutis nulla rubedo obseruatur, et alia signa pathognomonica anaesthesiam atque atoniam indicant, succussione sola, reliquis epispaisticis irritantibus non neglectis, optime institui poterit cura. Quapropter non consentire possumus cum BIRCHIO, <sup>i)</sup> qui hanc methodum aduersus menstruorum retentionem et suppressionem indiscriminatim commendat. Concedimus quidem, si atonia reten-

<sup>h)</sup> *Virgil. Aeneid. II. p. 220. Muschenbroek in Epistol. ad Bossum data in huius tentam. part. II. p. 36. terrorem suum describit.*

<sup>i)</sup> *Sammlung vor prakt. Aerzte. 8 B. 2 St.*

tentionis menstrui' profluuii causa fuerit, ab irritante hoc, per peluum trajecto fulmine, vteri neruos atque vasa convelli et aperiri posse. In nimia vero debilitate officit haec methodus, quinimo nocet. Tentaui enim eandem in virgine duodeviginti annos nata, ab eo tempore, a quo natura in muliebribus menstruum tributum soluere solet, epileptica quatuor vicibus, ut catamenia prouocarem, sed epilepsiae crebriores redditus ne pergerem me impediuerunt. In paralyticis vero exoptatos ab hac methodo vidi effectus.

Virum Iuris peritia et litterarum elegantia satis clarum, paralysi sensim accedente inferiorum artuum, hac ratione percurauit. Erat autem neruorum stupor tantus, ut vel acus quoque puncturam non sentiret, pedes ipsi aedematosi et fere hydroscopici. Cum vero ob cubiculi, in quo commorabatur, angustiam et vliginem communi machina electrum extirpare non possem, electrophoro usus sum, viginti sex pollices lato, quo phialam MVSCHENBROECKIANAM electro sat valide oneraui, cuius explosiones per crura et articulaciones direxi, et sic quatuor septimanas pergens curationem perfeci. Erant autem in principio curationis nerui adeo obtusi atque hebetes, ut plane non commouerentur. Iam vero altera septimana detumuere pedes, sensus tertia motusque rediit, quarta vero iam ambulauit. Sed videntur quoque succussions si fortiores fuerint, neruos destruere, quod in odontalgia locum habet, si per instrumentum, quod CAVALLO<sup>k)</sup> descripsit, per transuersum dentem electricum fulmen transfigitur. Summa vtilas autem huius curationis cernitur absque dubio in resuscitatione suffocatorum et semi mortuorum. Quid in asphyxia electrum valeat, comprobauit

k) Cavallo von der Elektrizität. Taf. 2. Fig. 6.



bauit experimentis experimentissimus HVFLANT<sup>1)</sup> atque NICOLAS et CHANGEUX<sup>m)</sup> in resuscitatione aqua submersorum iam BERNOVILLIVS eandem commendarunt.

Atqui haec sunt, quae super hocce utilissimo pharmaco angustis hisce speciminis academici limitibus comprehendendi posse videbantur. Expeclamus vero benignum et aequum lectorum iudicium, bene gnari multa adhuc superesse, quae politius dici et fusijs explanari debuissent. Non tamen potuimus temporis penuria et aliorum negotiorum turba pressi huic nostra ex aße satisfacere proposito. Interim vix opus est, vt excusemus, quae videri posset negligentia, cum nimirum nec manuales administrationes nec instrumentorum descriptiones addiderimus, cum haec egregie et nitide in tractatu quem CAVALLO super medica electricitate consignavit, reperiantur.

1) Disputat. Superior. not. d citata.

m) vid. Bertholon lib. cit. pag. 45.